

quàm positiva. Ex multis unum sufficit exemplum אֲשַׁיִר *faciam superare i. e. permittam superare, vel vivere, 1. Sam. 25. 22. & 14. 36. יִרְעִיב *esurire faciet, h. e. permittet. confer. Glassium l. 3. Phil. sacr. tr. 3. can. 28. D. Geierum in Proverb. c. 10. 3. p. 482.**

14. *Quodcumq; corpus Christi pependit in cruce, id nobis in cœnâ exhibetur:*

*At visibile corpus Christi pependit in cruce:*

*E. visibile corpus nobis in cœnâ exhibetur.*

Resp. confunduntur prædicamenta. Major vera est de substantiâ & essentia corporis Christi: sed minor subsumit de qualitate corporis. Unde vitiosè infertur conclusio. Sic autem format Rhenius log. p. 762. Syllogismum:

*Quale corpus est pro nobis traditum, tale etiam est in cœnâ.*

*Sed visibile corpus est pro nobis traditum:*

*E. visibile corpus est in cœnâ.*

Sed sic major est falsa. Corpus enim Christi tum erat passibile & mortale. Jam autem est impassibile & immortale. Præterea visibile significat id, quod videri potest, etiamsi non semper actu videatur.

Sed